

Nil peragas secum, nec eam consistere tecum  
Umquam permittas, nec ad hostem munera mittas!  
Que movet ad Venerem, vitare stude mulierem!

Rumpere vis o qui mulieris retia prave,  
2475 De muliere cave cum muliere loqui!

Sentinam sentina trahit, mulier mulierem,  
Consortem consors: munere capta capit.

Munera sepe petens procul absit femina fetens,  
Instans et repetens et repetendo metens!

2480 Que mores resecat res<sup>1</sup> est segura: securim  
Femineam vocem spernere, nolle sequi.

Non cum mendace maneat muliere rapace;  
Hac in fornace rapieris ab igne vorace.  
Pulsa fallace, cupida meretrice loquace

2485 Cum virtute iace, siste, quiesce, tace!  
A sue mordace, tibi carne cavens ab edace  
Celebs in pace vive deoque place!

Qui semel ac iterum capitur laqueis mulierum,  
Vastator rerum vix sentit damna dierum;

2490 In tenebris scelerum iubar odit cernere verum,  
Se lacerat miserum medicum fugiendo severum.  
Contemptor procerum grave cor gerit, ad bona serum.  
Vulnus id hausterum decet ungere, pungere clerum:  
Det vas sincerum spirituale merum!

2495 Sunt nece peiora meretricis membra decora:  
Sis memor absque mora, quia fetent inferiora.

Si pius et sciens es, carnales respice sordes!  
Impius insciens es, si sordi nobile cor des.

Ob res illicitas deus excussit sodomitas  
2500 Ac alios multos eterna morte sepultos.  
A domino celi missus cibus est Danieli,  
Quem lacerare bonum timuerunt ora leonum.  
Testes antiqui, sibi mendaces et iniqui,  
Castam destruere Susannam non potuere.

2505 Immaculatorum sors pro mercede laborum  
Semper erit plena, iocunda, suavis, amena.

---

Cum cecus cecum presumit ducere secum,  
Si ducens male cum ducto sunt, est satis equum.

Andere Fassungen s. Rom. Forsch. XXVI, 177, n. 54. 1) Nach 'res'  
ist ein Wörtchen ausradiert. Vor dem Vers steht ein kritischer Strich.

---